



**Consensus Veteris Et Moderni Papatus**

**Reck, Johann von der  
Monasterii Westphaliæ, 1722**

XIV. Quod sola fides non justificet sine bonis operibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68472](#)

*Item serm. 3. de verbis Domini.* O magna bonitas Dei ! cui cùm pro conditione reddere debeamus obsequia , utpote servi Domino , famuli Deo , subjecti potenti , mancipia redemptori ; amicitiarum nobis præmia repromittit , ut à nobis obsequia debitæ servitutis extorqueat.

*Item in Psal. 38.* Debitorem Dominus ipse fecit se , non accipiendo , sed promittendo : non ei dicitur , redde , quod acceperisti ; sed redde , quod promisisti.

## X I V.

Quod sola fides non justificet  
sine bonis operibus.

*S. Ignatius Martyr Epist. ad Ephesios.* Principium vitæ est fides , finis vero ejus dilectio. Ambæ autem simul junctæ , & in unitate factæ , hominem Dei perficiunt.

*Origenes lib. 2. in epist. ad Roman.* Quia & fides sine operibus mortua dicitur , & ex operibus sine fide nemo apud Deum justificatur. S.

*S. Chrysostomus hom. 70. in Matth.*  
 Deinde ne fideles solâ se fide salvare  
 posse confidant , de pñnâ malorum  
 differit. Ita infideles ad fidem , fideles  
 vero ad rectè vivendum cohortatur.

*S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum c. 1.* Quomodo corpus sine spi-  
 ritu mortuum est , sic & fides sine  
 operibus mortua est. Nec grande pu-  
 temus unum Deum nosse , cùm &  
 dæmones credant & contremiscant.  
 Qui dicit se in ipso manere ; debet  
 sicut ille ambulavit , & ipse ambulare.

*Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom.*  
 Præcedit fides , timor autem ædificat ,  
 perficit autem dilectio.

*S. Augustinus serm. 22. de verbis A-  
 post.* Domus Dei credendo fundatur ,  
 sperando erigitur , diligendo perfici-  
 tur.

*Item libro de fide & operibus.* Qua-  
 re jam illud videamus , quod excluden-  
 dum est à cordibus religiosis , ne ma-  
 lâ securitate salutem suam perdant ,  
 si ad eam obtainendam sufficere solam  
 fidem

fidem putaverint ; bene autem vivere , & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint.

*Item lib. 83. question. 76. Quoniam Paulus Apostolus prædicans justificari hominem per fidem sine operibus, non bene intellectus est ab iis, qui sic acceperunt dictum, ut putarent, cùm semel in Christum credidissent, etiamsi malè operarentur, & facinorosè flagitiosèque viverent, salvos se esse posse per fidem.*

*Et paulò post. Quapropter non sunt sibi contrariæ duorum Apostolorum sententiæ, Pauli & Jacobi, cùm dicit unus justificari hominem per fidem sine operibus ; & alius dicit, inanem esse fidem sine operibus, quia ille dicit de operibus, quæ fidem præcedunt ; iste de iis, quæ fidem sequuntur.*

## X V.

Quod mandata Dei , per ejusdem gratiam, servatu sint possilia.

*S. Hieronymus in caput 5. Matth.  
Multi*